

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Coniugium q
cum fonte proximo et primis

Ducuntur hodie uxores
non causa fornicationis uitande
sed causa luxurie,
non causa prolis sed causa pecunie.

Vnde Marcia Catonis filia iunior,
cum quaereretur ab ea
cur post amissum uirum denuo non nuberet,
respondit se non inuenire uirum
qui se magis uellet quam sua.
Quo dicto eleganter ostendit diuicias
magis in uxoribus eligi solere quam pudicitiam
et multos non oculis sed digitis uxores ducere.
Optima et sana res quam non auaricia conciliat,
quam non luxuria copulat.

Hugo ibidem (in libello ad socium uolentem nubere).

Ducuntur plerumque uxores
non causa fornicationis uitandae,
sed causa luxuriae explendae;
nec causa prolis, sed causa pecuniae.

Unde Martia Catonis filia minor,
cum quaereretur ab ea
cur post amissum uirum denuo non nuberet,
respondit se non inuenire uirum,
qui se magis uellet quam sua.
Quo dicto eleganter ostendit diuitias
magis in uxoribus eligi solere, quam pudicitiam,
et multos non oculis, sed digitis uxores ducere.
Optima est uxor, quam non auaritia conciliat,
nec luxuria copulat.

Hugo de Folieto, *De nuptiis*, 1.1 (PL 176, col.1206A).

Ducuntur plerumque uxores
non causa fornicationis uitandae,
sed causa luxuriae explendae;
nec causa prolis, sed causa pecuniae.

Hugo de Folieto, *De nuptiis*, 1.1 (PL 176, col.1206A).

Marcia Catonis filia minor,
cum quaereretur ab ea
cur post amissum maritum denuo non nuberet,
respondit non se inuenire uirum
qui se magis uellet quam sua.
Quo dicto ostendit diuitias
magis in uxoribus eligi solere, quam pudicitiam,
et multos non oculis sed digitis uxores ducere.
Optima sane res, quam auaritia conciliat.

Hieronymus Stridonensis, *Aduersus Iovinianum*, 1.46
(PL 23, col.288).